Visual Library Portal

Digitalisierung von Drucken des 17. Jahrhunderts

Ex Grammaticis, De Scheva Ebraeorum, publice disputabit Praeses M. Michael Liebentantz/ & Respondens Casparus Ritter/ Vratislavia-Silesii. In Auditorio Minori a.d. XVII. Ianuarii. Horis matutinis

Liebentantz, Michael
Ritter, Caspar

Wittebergae, 1660

VD17 1:057921Y

urn:nbn:de:s2w-2643

Visual Library

בס"ד

EX GRAMMATICIS, De SCHEVA EBRÆORUM,

publicè disputabit

PRAESES

M. MICHAEL Liebentantz/

&

RESPONDENS

CASPARUS Ritter/

Vratislaviâ-Silesii.

In Auditorio Minori a. d. XVII. Januarij.

Horis matutinis.

WITTEBERGÆ,

Exscribebat MICHAEL Wendt/

Anno MDCLX.

EX GRAMMATICIS

DE

SCHEVA

ERRATORUM

M. MICHAEL SIGISMUND

ET

CASPARUS SCHEV

Horis matutinis.

LYTZEBURGI,

ERRATA.

בשׁ״ש

Non prima hactenus, nec omnis opera rebus cognoscendis data est à quopiam, qui Animum præclararum Artium Studio accendere, cupidè elaboravit. Aliquod & primum ætatis Vocum Studio potius locatum est, eò quod omnes ex æquo, si quidem Senatus numerandus fuerit, Eruditi iverint semper hanc in sententiam, principia quasi ac πρῶτα στοιχεῖα cujuscunq; notitiæ esse, quæ docentur à Grãmaticâ. Hæc proindè stabilienda probè atq; firmanda, ut cætera benè habeant, ruitura facilè aliàs, si absq; fundamento solido creverint. At verò caveas, ne cum detrimento Temporis Rerumq; notitiæ. Rabbini ajunt: היום קצר והמלאכה מרבה *Vita brevis, Ars longa. Tentandum illud non in Latinâ & Græcâ solùm Linguâ est. Periclitandæ quoq; vires sunt in Elementis, Litteris dico, punctis atq; iis Apicibus, quibus λόγια τοῦ θεοῦ in Veteri prostant Instrumento. Non trivialis, obscurus, puerilis ac ne titivillitio redimendus ille Labor est, verùm illustris satis, dextrè à tot Illustribus susceptus Ingeniis: Cujus eò minus pudeat vilem ac plebejam Animam. Nobis in præsentiâ sedet Animo, de SCHEVA, haud ignobili Elemento Sanctæ illius atq; divinæ Linguæ, disceptationem instituere. Ut autem FELICITER,*

בהנו״א׃

§. 1. Principium doctrinæ est, vocum contemplatio, ab his enim sæpenumerò in rei perceptionẽ provehimur. Quocirca nec nostri Thematis Evolutionem ὀνοματῳδη prorsus habere insuper fas erit. Vox *Scheva*, si Patriã ejus spectes, Ebræa est. Toga videtur quidem Romana, in civitatem autem Romanã recepta hactenus haud est. Si Doctores Grammatici aliquando adhibuerunt eam sub Inflexione Casuum certâ, contigit eidem, ut Termino alii cuiq; Technico, informationis melioris ergò Casum juxta Grãmaticũ adsumto. Certè *Franciscus Junius* aliiq; sub terminatione fœmineâ hinc inde usi hàc voce ob aliã vix rationẽ fuerunt. Quamvis usus ille parùm videatur approbandus, eò quod Ebræum שְׁוָא dignioris, non sequioris sit generis, quod itidem peregrina ac quæ Technica simul sunt, vocabula nullam de Casu in Casum flexionem, immò non nisi Neutrum Genus agnoscant.

§. 2. Unanimi cæteroquin hanc vocem Calamo scribunt Ebræorũ Doctores שְׁוָא, haud tamẽ unanimes hujus demonstrant originẽ. Qui à שָׁבָה *captivum cepit*, deductã volunt, quod Scheva litteras

duas consonantes immediatè citra aliam intervenientem vocalem connectendas intercessu suo contrahat, cuniat & ad unã syllabam quasi concaptivet, uti putat *M. Abrah. Gibelius in Strigili Instit. Ebra. Bellarmini disp. 1. thes. IX. Valent. Schindlerus Instit. Hebraic. p. 25.* non haud ab re deseruntur, cùm materiale vocis idẽ non utrobiq; detur. Et quis persvadebit nobis, litteras ב & ף, etiamsi unius organi sint, hàc quoq; in voce esse ἐυυεβλήτας? Idem de *Bellarmini* Etymo judiciũ esto, qui *Instit. Gr. p. 20.* à שוב redire, quia litteram suam ad præcedentem trahit, & quodãmodo redire facit. Propius accedunt, qui à שוא *frustra, vanum* derivant, quod nihil ipsum sonet, ac nonnisi punctũ Vanum sit. Magis tamen arridet reliquorũ Etymõ שָׁוָה *æquari, adæquari, æqualem esse*, tùm quod plurium hæc fit sententia, tùm quòd convenienter oppidò Usum ejus & officii commoditatem judice *Fr. Junio Gram. Ebr. p. 14.* exprimat. Imitatur quippe omniũ vocalium puncta eorundemq; adsimilatur sono. Quod monet *Abr. de Balmis Artiũ & Medicinæ D. Judæus in Grãmat. Ebræâ*, quæ vocatur מקנה אברהם Peculium Abrahami *cap. 3. de punctis, e ỳ lin. 27.* השוא נקרא לשון שוה כי הוא משתוה להנועות רבות i.e. *Scheva vocatur secundùm significationem* שוה *quia ipsum coæquatur punctis vocalibus multis.* Nec quicquam huic officit originationi Scriptio Scheva per א. Ista namq; forma Nominum Chaldaica est, Radici proxima admodum, in quâ ex more Chaldæis non infrequenti, tertia Radicalis ה in Congenerem א mutatur. *V. Amplissimi Dn.* ANDREÆ SENNERTI *Chaldaismus p. 78.*

§. 3. Monstrato Etymo illud jam agendum erit, ut extricetur Ambiguitas. Hæc enim Genetrix ac Mater Errorum credita semper est. Occurrit vox שָׁוְא *1. Paral. II. 49.* (quam οἱ Ο σαὴλ, Vulgatus Sue, Lutherus Seua scribunt) verùm sub Schemate Nominis Proprii Filio cuidam à Pellice Calebi prognato, tributi. Id Nominis *Gregor. Franc. in Lexico Sancto. No. DCCXIII.* explicat Clamorẽ, Tumultum à R. שוא *clamare, tumultum facere*, quæ notatio tamen potius R. שאה convenit. Sub Configuratione hujus soni exstat idem vocabulum *Actor. XIX. 14.* σκευᾶ scriptum, quod, cum Nomẽ Pontificis, viri Judæi sit, Ebræum putat *Georg. Pastor de Etymis Nominũ Propriorũ recentiss. Edit. p. 69.* atq; à שון derivandum, q. d. æquator. Propria hæcce sunt Nomina, nec de iis ullo hîc modo laborabimus. At nostrum Technicum est sive vocabulum Artis, ab antiquissimis jamdudum

dudum Rabbinis ad decantatissimum illud Ebrææ Lingvæ Elementum describendum, adhibitum. De hoc inpræsentiarum nostra instituitur disceptatio; De eodem verò non quavis ratione ac sub speciebus, sed generaliter ac intuitu potioris Analogati considerato.

§. 4. Hujus Synonyma quod concernit, per pauca recenseri possunt, vel idcircò, quod pleriq; Orientales, omnes nî fallor Occidentales, Scheva quoad figuram non agnoscant. Arabes habent, illudq; Giezma vocant. Ebræi suum quandoq; חטף, maximè compositum, punctum rapiens. A Munere, quod obit plura eò adipiscitur Nomina ἐγκωμιαστικὰ, quorum recensionem Crambe circa descriptionem recoquenda hîc prohibet.

§. 5. Prælibatis hisce de Nomine, regiâ procedamus ad Rem. Ut ordine autem, quem amat Natura, quem observat Naturæ Æmula Ars, progrediamur, atq; ut singula succedant auspicatò, auspicia sumendum à descriptione est. Sit ergò: *Scheva est Punctū Ebrææ Lingvæ ministrans, duobus punctis perpendiculariter infra litteram notatum, per se nunquam mobile ad syllabam compositam constituendam inventum.* Descriptionem resolvimus in conceptum contrahibilem, qui vicem Generis supplet, nec non contrahentem seu determinantem, qui differentiæ. Jus definitionis nequaquam à nobis postulabit strictius Logica, Notionem Grammaticam depingentibus.

§. 6. Conceptus convenientiæ est *Punctū Ebrææ Lingvæ ministrans.* Plures voces damus, ubi res una describenda est. Ut enim velimus, non possumus, destituti vocabulorū Copiâ. Quorum dum hîc congeriem, rerum tamen complexionē nō adferimus. Manet conceptus ille termin9 simplex, manet incomplex9. A quo describitur Scheva primùm, *Punctum* est. Ebræi enim Orationis suæ Elementa prima in אותיות signa seu Litteras: & נקודות sive Puncta dirimunt. Puncta rursum in Vocalia & Muta. Hæc sunt Elementa tantùm secundaria, soni expertia, quibus consonantes pariter & vocales adficiuntur, recensenturq; *à Schindlero h. m. Jamin seu Smol, Dages, Raphe, Mappic, Scheva.* Vocalia autem strictè, propriè ac per se sunt, longæ & breves vocales ad unā omnes. Latè, impropriè ac per accidēs vocale largiremur esse Scheva. Unde audit Punctum *ministrans vocalibus.*

§. 7. Regimen quasi excercent Vocales, ac singulæ in singulis Syllabis dominantur, distribuendo sonum litteris peculiarem, quo sine silerent aliàs. Famulitia hisce præstare Scheva, ac sicubi superfluum

quid invenit, comitari cogitur Imperatorem. Istud Elementi nostri ministerium totus Grāmaticorum priscorum simul & recentiorum deprædicat Chorus: secundum quem עבד עבדים *Servus servorum* salutatur. *R. Elias Levita Germanus Cant. 6. Citatus & à Buxtorf. Thes. p. 632. extr.* punctum hoc *omnium punctorum ministrum* appellitat. *Balmesius d. l. c. i. Dixerunt Antiqui*, ait, חשוא משרת לעולם ; *Scheva servit semper.* Et *ibid. c. 9 lin. 9.* laudat *R. Schlomo Jarchi ὀμόψηφον* ac statuentem, *non dari servum præter hunc, imò servum unum esse omnibus Regibus.* Idem confirmant à Recentioribus illi tributa Epitheta ut quando *Fr. Junius Gr. Ebr. p. 28. Vocalem* dicit *ministratoriam p. 6. Vocalem æquamenti, vicariam omnium. Keckermann. in Gr. Ebr. p. 28. Ancillam & pedissequam reliquarum, aut velut aliquē Veredarium & satellitem esse docet, quia currat juxta alias Vocales, tanquam per Postam, ut loquimur*, Er sey der andern vocalium Post-Reuter.

§. 8. Ex eo nunc, quod Scheva vocalium naviter deservit Autoritati, ultrò dispalescit, ipsum Vocalis Insigne hautquaquam mereri. Parum enim conveniret, si, quæ debetur Majestas Regi, Ministro propritim tribueretur. Liquidò arbitrantur, fateor, Doctorum Ebræorum multi, iiq; ὡς ὁι τύχοντες, quindecim in Idiomate divino esse vocales, atq; in brevissimatū Cœtu Censuq; locandum Scheva. Ita sanè sentit, quem nominare unum liceat, *Fr. Jun. Gr. Ebr. p. 15.* vocales ita distingvens, ut *quædā sint χρόνιοι, quædā ἡμιχρόνιοι, quædā ὁλιγοχρόνιοι*, harumq; seriē Scheva totuplex constituat. Nos Religioni ducimus, tutari acriter eam sententiā, à quâ Præceptoris venerandi semper Gravitas divortium facit. Præprimis, ubi Argumentorum adsunt pondera adversariā opinionem validè deprimentia. Potissimum nos à Definitione negata colligimus. Cuicunq; non competit definitio Vocalis, illi nec definitum, ut denominetur sitq; vocalis. Quamcunq; enim adferam9 ac cujuscunq; Grāmatici Vocalis Finitionem, ת Scheva applicari vix poterit. *Martinus Martinij in Technol.* quam & doctissimus *Amama* approbat, hanc obfert descriptionem: Vocalis est littera, quæ per se sonum integrum potest efficere. Hinc Ebræis propterea vocantur תנועות motiones, quod litteras sono addito moveant per pronunciationem, *φωνήεντα* Græcis ob rationem huic geminam. At verò ת Scheva sonus distinctus ab alio & peculiaris nullus est; Sed potius confusus cum alio. Sicuti actutùm in Differentiæ Enucleatione observabimus.

§. 9. Ad

§. 9. Ad requisita Vocalis Ebrææ dilabimur, quæ non minus à Scheva sunt remotissima. Vocalis primum debet constituere Syllabam statam ac simplicem. *Puncta enim vocalia sunt*, (inquit *Abrah. Gibelius Difficult. Etymolog. cap. 1.*) *quæ sola possunt vel citra reliquorum punctorum adminiculum, junctim cum consonantibus efficere* תְּנוּעוֹת *seu Syllabas.* Verùm Scheva syllabam per se constituere nescium est, immò si duplicetur. Quod & ipsi nec diffiteri possunt, qui Vocalem illud reputant. *Junius Gr. Ebr. p. 26.* ait: *Solæ Vocales brevissimæ ac per se uni consonanti junctæ constituunt quidem syllabã justè, non tamen justã & ἄτμητον, sed alteri semper adhærescunt, tanquam ἀσύμφωνοι.* Quanquam & hîc monitore quodam opus esset Junio, dum solum se ἀμεμφέστατον sectatum esse, persvasum est. Nec sine dicâ scriptâ prætermittendus Cardinalis *Bellarminus*, qui in *Instit. Ebraic. Edit. Antverp. p. 17.* non modò motiones דְּ בְּ & הֲ statuit esse syllabas propriè dictas ex consonante & vocali parvâ effectas, sed præterea simplex Scheva mobile constituere cum suâ consonante syllabam more aliarum vocaliũ opinatur: exsertè enim *cap. 3. p. 20.* דִּבֵּר pro bisyllabo habet. Utrumq; absurdissimè. Prius, quod Chatephkamets nunquam non cum Kametschatuph cõmisceat, quæ puncta tamen ob figuræ, pronunciationis ac sedis diversitatem sunt distinctissima. Posteriõ, quia Scheva simplex mobile vocalẽ, etsi brevissimã, esse retur. Quot jam, ô Roberte, syllabas in אֱלֹהָ֫ aut בִּקְשָׁט numerabis?

§. 10. Deinde, ut ferre Accentum possit, haut postrema vocalis Conditio est. Hàc verò nostrum punctũ ordinariè munitum unquã esse, quis adsereret, contrarium adstruente omni Gramniaticorum Senatu. *Abrah. de Balmis cap. 3. de punctis e iij lin. 4.* refert: לֹא תִמְצָא טַעַם בְּאוֹת שֶׁנְּקוּדָתָהּ שְׁוָא אוֹ חָטֵף i. e. *Non invenies Accentum in Littera, cujus punctus est Scheva aut rapiens.* & *e j lin. 16. Non fit extensio Accentus elevantis in litterâ punctuatâ uno modorum Scheva.* Et quamvis obvertatur Exemplorũ farrago benè magna, in quibus vel Scheva vel Chatephim adfecta Tonico Accentu sint, uti non inficias itur dari eadem, e.g לְהָבִין Prov. I. 2. רְשָׁעִים Psal. I. 1. אֶמְלֹל Ps. VI. 3. Excussa tamen presiùs, tanta non erunt, quæ Adsertionem semel datam everterent penitus. Enimverò singula exempla in Libris אֱמֶת prostant, quorum si Accentuum Statum conferas, longè alia, quam cæterorum Librorũ ratio est. Ob brevitatẽ maximè Versuum multi Accentus coacervantur vel prorsũ excluduntur, censet *Cl. Schickard.*

Horol.

Hexol. p. 70. Immò incomparabilis *Buxtorf. in Thesauro suo verè-Thesauro p. 26. seqq. Edit. 4.* qui Anomalias præfatas examusim nervosè prosequitur, consulendus. Adde quod principe loco fuisset monendum, Vocum illarum ac hisce finitimarum syllabas non affici tono propterea, sed sedem duntaxat largiri vicariam Accentui, Syllabā v. elevandam ex flexionis Analogiâ vocis cujuscunq; repetendā esse.

§. 11. Fallor, an ad propugnandum id, quod in Controversiam est, advocem pro- porrò Doctorū Ebræorū Autoritatē, qui τῷ Scheva, si non Nomen, tamen Rem & Naturam Vocalis adimunt. Agmen ducat Magnus *Buxtorf. Thes. Gr. p. 11.* docens *Scheva vocalē esse impropriam, quia non semper vocalis sit aut non omniū litterarum.* Sequatur *Schindlerus*, qui *in Instit. Hebr. p. 20.* ad puncta muta, soni expertia ac pronunciationi tantum inservientia refert. *Cl. Hottinger Gram. Harmonicâ p. 10.* itidem *punctum vocale impropriū* nuncupat; *Keckerman. p. 28. vocalē beneficiariam.* Sanè quod impropriè ac ex beneficio tantùm Vocale dicitur, non-vocale naturâ est. Improprietas quippe tollit omnem Rei veritatē, quamvis similitudinem relinquat. Nec enim Prata verè rident, quia impropriè dicuntur ridere. Nec in Puncto Scheva jam consideramus ea, quæ ex beneficio & precariò, sed quæ ex naturâ suâ possidet.

§. 12. Jam ad differentiam paremus Transitum, in quâ sistitur I. Figura τῷ Scheva ac situs. Est *Punctū duobus punctis perpendiculariter infra litteram notatum. Duobus punctis* pingi clàm est neminem. Idq; fieri ex ἥσυχ & placito Autoris primarii nec ambigendum, nec fundamentum aliud, ubi nullum est, quærendū censeo. *R. Balmes* dari aliquod conatur, at caliginē offundit Interpres Latinus litterā rigidiusculè persequens. Verba sunt: *Scueva est duopuncta* וְלִמַּעְלָה מִזֶּה *ad significandum, quod non modò significet principium motus, & illorum continuitatem, ipsorumq; ultimum, quia ipsum est terminus ipsis, & æqvē est omnibus motibus.* Non Davo certè, sed Oedipo hîc indigi essem9. Dehinc duobus punctis *perpendiculariter* substratis notari diximus, quò Puncto Regio Zeri contradistingvatur, quod duobus juxta se invicē stratis: & *infra litteram.* Catholicus enim non est Situs omniū Vocaliū, ita ut infra Consonantiū supponanturOrdini, μονόσιγμοι siquidē h. e. unico ex puncto factæ Cholem & Schureck excipiendæ sunt. Deinde hoc ϖεϱισδιοϱισμῷ segregatur ab Accentu illo Sakephkaton, qui itidem hàc punctorum positione supra litteram pingi consvevit.

§. 13. II.

§. 13. II. Potestas, hæcq; est quiescere *& nunquam per se mobile* esse. Quod Adsertum judicioſum Magni Noſtri Patroni ac Præceptoris, Dn. Andreae Sennerti est, pasſim inculcatũ ab eodẽ, potisſimè *in Hypotypoſi Harmonicâ p. 207. in Chaldaiſmo & Syriaſm. p. 6.* itemq; *Arabiſmo p. 5.* Ubi, *Quieſcens ſuâ naturâ omne Scheva eſt*, ait. Veritas ad extremũ quidẽ vinci neſcia est, utpote Solis Filia, Naturæq; soror, nihilo tamẽ minus Adverſariorũ in gratiã, eidẽ quærendũ robur erit. Argumentamur: Cujus Puncti peculiaris ac distinctus naturâ ſonus nullus est, illi perperã Motus Vocali competens tribuitur. Adſumtũ de Schevâ nunc propugnandũ est, ad examẽ revocatis ſingulis Schevajim. Ac principiò quidẽ curatè luſtremus liceat Compoſita. Moveturne in his Scheva, an vocalis, cum quâ componitur, parva. Sanè pronunciari audio Patach, Sægol & Kamets Chatuph, quamvis ſono rapidisſimo, quem Scheva adjunctum hiſce accelerat.

§. 14. De Scheva poſteà ſimplici eodemq; quieſcente dubitare nõ magis licet, quàm de quavis aliâ re certisſimè compertâ. Hujus tantùm abeſt, ut ſonus audiatur aliquis, ut etiã alicubi prorſum omittatur. Quod quã maximè adſeverandũ est de litteris finalibus vocali deſtitutis, idem de ש & ז ſibilantibus medianis, quæ in aſperiori occurſatione Scheva privantur. Ut יִשָּׂשכָר Iſaſchar, *Gen. 30, 18. Exod. 1, 3.* ubi ש nudum derivationis ergò ac non pronunciationis apponi cenſet *Junius Gr. Ebr. p. 25. Gregor. Franc. Lexico Sancto No. XXXV.* addit: *Epentheſin lit. ש absq; puncto exponant Cabaliſtæ, quia ſingulare prorſum eſt hoc exemplum.* It. מְחַצְצְרִים clangentes *2. Paral. 5, 12. cap. 29, 28.* ubi littera ז à Maſorethis adjecto circulo obſervata, & à *Glaſſio Phil. Sacr. l. 1. tract. 1. p. 4.* ad redundantes litteras relata est.

§. 15. Plus poſtulabit probationis, quod mobile, atq; per e rapidisſimum efferendum Scheva, in vulgus creditur. Probatur autem de facili naturâ eidem distinctũ ac peculiarẽ ſonũ, cujus beneficio pronunciatur, nullatenus esſe. Quia Conſonantes unius Syllabæ nonniſi per unam vocalem legi poſſunt; Si verò per Scheva inſimul legerentur, Scheva fieret vocale, sicq; una Syllaba duobus conſtaret punctis vocalibus, id quod abſurdum. *Scheva Auribus eſt, quod fulgur oculis.* Quamobrem ſicuti hoc in momento ſubducitur oculis, parili modo illud in pronunciatione accelerandum ita est, ut penè nulla mora trahatur, quin imò potius abſorbeatur ac q. ſuffocetur,

quod Germani noſtri præſtant in vocibus Geſell/Gefahr/Befehl vel magis in Brod/Gnade/Blut &c. *Cl. Buxtorf. Theſ. Gr. p. 15. Hæc*, inquit, *connexio ita rapida & arcta eſt, ut divulſionem aliquā non admittat.* Et *B. Fabricius Orient. L. L. in Leucoréa hàc Profeſſor meritiſſimus diſſ. 2. de formâ Lectionis Script. Ebr. theſ. 43.* præcipit, ut ſuâ feſtinatione ſuum ſonum ad ſequentis Vocalis ſonum ferè inflectat.

§. 16. De hinc ſi Scheva hoc pronunciandum nullibi non eſt, quare Chaldæis illius minimè expertibus quieſcit idem poſt Vocalem longam quamcunq;? Quare nomen בלשאצר legunt Belſchatzar, non Beleſchazar? quæ ratio eſt, quod Syri formâ, non verò uſu שׁ Scheva deſtituti, illud non legant, præterquam fortè in iis locis, ubi conſonarum Connexio δυσφωνίαν parit. Conf. Nri. D. Sennerti *Chaldaiſmus & Syriaſmus p. 5.* Quæ cauſa eſt, quod Judæi pronunciaverint jam olim בראשׁית breſchis, שׁמור Schmos, שׁלמו Schlomo, quod illi dictum Deut 6, 4. (Audi Iſrael Dominus Deus noſter Deus unus eſt) à primâ vocè שׁמע ſalutent Schma, ingeminantes, *O beatos nos, qui quotidiè manè & veſperi his ſurgimus, dicentes, Audi Iſraël*, uti refert *Paul. Weidner. in loc. fid. Chriſt. præcip. tract. 1. p. 138.* Quid arguméto fuit Viris hactenus Ebraicè litteratis, ut antiquitatis haut deliræ premerent Lectionem ברא bra, בלא Blo, גלית gle, quod judicioſisſimo præſtitit *Amama in Gr. Martinio Buxt. p. 10.* ubi & tradit *p. 12.* eſſe, qui legant Ebraica, ac ſi Scheva medianũ ſyllabam ſemper clauderet, ut בקרים phokdim, illudq; non incommodè fieri adſerit, quotiens Scheva ſyllabam inchoans ejusmodi poſt ſe conſonam habeat, cum quâ difficilius ſine ſono rapidisſimi e pronunciaretur, nec minus tolerari poſſe, quam qui τώπτω legunt, cum tamen reverâ π ad ſyllabam πτ pertineat τώπτω.

§. 17. Adjicio nunc, non admodùm periculosè aliquem opinari poſſe, Scheva litterā א vel ה præcedens propterea & ratione figuræ atq; uſus eliminari, quia ob velocitatem adeò ſe inſinuat ſequenti puncto, ut audiri nequeat. Declarat idipſum egregiè ex Ebraiſmo & Syriaſmo Præceptor Noſter ac Evergeta ætatem devenerandus *in Grām. Ebr. p. 13. & Syriaſm. p. 8.* Exemplum tamen ex abundanti addam licebit. Ex præceptionib Grāmaticorũ כיתרון ראשׁית, ordinariè diceretur. At verò, quia ſonus שׁ Scheva mobilis adeò arctè cum vocali ſequentis litteræ connectitur, ut idem & unus appareat, meritò, Scheva exeſſe jubetur & cedere vocali Regiæ,

tanquam

tanquam Minister, ut fiat רֵאשִׁית principium כִּיתְרוֹן *ut Emolumentum*, *Eccles. II*, 3.

§. 18. Porrò, si peculiarē suum ac distinctum sonum ab alio puncto ex naturâ haberet Scheva, qui factum, quod LXX. Interpretes Sanctæ Lingvæ callentissimi in Græcâ non expressérint sed ex רְאוּבֵן formarint ῥαβὶμ Ruben, ex בְּרִלַח βδέλλιον. Aliunde profectò Jova aut rectiùs Jhovah, immò Nomen Jovis Latinum non deductū est, nisi ex יְהוָה puncto Scheva suppresso, uti annotat *Burgensis ad Exod. 3.* quod vicissim negat *Amama A.B. p. 511.* Non aliunde Juda, nisi ex יְהוּדָה Josua, nisi ex יְהוֹשׁוּעַ Pnuel, nisi ex פְּנוּאֵל. Et observavit *in nuperis Prælectionibus διαλειπτοις ad Grāmat. Præcepta*, Dn. Senert. Interpretes expressuros idem, in Nominibus Propriis Biblicis imitatos fuisse Vocalē immediatè sequentē, quæ potestati se & sono adæquaret. Ita ex כְּנַעַן factum est *Canaan*, ex צְמָרִי σαμαρῖ ex אַשְׁכְּנַז Ἀσκανάζ, ex סְבָא σαβὰ. Itemq; ex פְּלִשְׁתִּים oriundum est פ *Philistæi*; nec non ex סְדֹם *Sodom*, ex שְׁלֹמֹה *Solomon* Matth. VI, 29. Quod idē etiā in Aramæarū Vocum Versione contigit, ut pro שַׁבַקְתָּנִי lectum fuerit *Sabachtani*, pro חֲקַל דְּמָא *Haceldama*. Accedit affatim adhuc aliorum exstare Nominū Propriorū, in quibus indifferēter per singulas ferè Vocales à diversis Interpretib9 Scheva expressum est. Horum Examina ut adducantur, Usus non est.

§. 19. Quid? quod ipsi Judæi Scheva hocce non semper legant per e rapidissimū, quod tamen etiā nonnisi propter δυσφωνίαν præstant, sed sæpiculē litterâ gutturali sequente proferant eo sono, qui puncti est litteræ gutturalis, verū vix perceptibili. Ut adeò Pontificiæ sectæ Antesignanus *Bellarminus* gratis dicatur, de sono hoc ex Rabbinorū suorū Tripode oracula & Rhadamanthea mandata promsisse, quādo *cap. 3. p. 22. Observandū est*, inquit, *ad perfectā pronunciationē Semipuncti Scheva, cùm post Scheva sequitur litera gutturalis, ipsum Scheva debere proferri ferè ad eum modū, quo profertur punctū subjectū litteræ gutturali, & si adsit Accentus, qui dicitur Gahaia, proferendū planè eo modo, quo profertur punctū litteræ gutturalis: dicimus n.* תַּחַי *tichi vivet, non techi. Idē dicendū de Scheva præcedente Jod sine Chiric; vergit enim tunc Scheva ad sonum Chiric, & si adsit Gahaja, sonat planè, ut Chiric, ut* בִּיַד *bijad, in manu, nō bejad.* Quāvis a. quædā in Cardinalis discursu obelo notari possint, liquet exinde tamē, indefinitū illū ְ Scheva mobilis sonū, satis solidū perhibere testimoniū de naturali Puncti nostri Quiete.

§. 20. Evagarer longius, si deniq; ad Lingvas occidentaliores abirē, demōstraturus à cōmuni earū Usu nō exclusum esse Scheva, quod mobili respōdet, Interim semper quiescēs est, nisi ubi δυσρεασίαι inconexibiliū consonantiū etiā signū Cōnexionis postulavit φωνηὸν, Istud palàm datur ex universis omnib9, tùm Græcis, tùm Romanis, tùm Germanicis dictionib9 Consonantiū duarū pluriūve unâ vocali junctarū facie apparentib9. Quibus, si Matris suæ, Ebrææ Lingvæ, vel etiā filiæ nō dissimilis valdè, Chaldęæ ornatu prodeundū esset, nōnisi intervētu Scheva id fieri posset. Ecce Græcū ψαλτήριον, in cuj9 principio duæ consonātes simplices citra intervenientē vocalē contrahuntur ad syllabā unā. Chaldæ9 scribit Dan. 3, 5. פְּסַנְתֵּרִין Ita & Rabbini in Scriptis suis hinc inde פְּרוֹסוֹפוֹס scribunt, Plato פְּלַטוֹן Franciscus פְּרַנְקִישְׁקוֹס *R. de Balmis* exprimit Cratylus per קְרַאטִילוֹס Dialogi Platonici mentionem injiciens.

§. 21. Idē *R. Abrahām f. VI. b.* Litterā Q Romanā apud suos neutiquā posse exprimi adserit, præterquā per intercedēs Scheva, ac periculo facto in Nomine Regis Romanorū Tarquinus, scribit טַרְקְוִינוּס additq; : *Si esset Romanis pronunciatio Sceva in suâ scripturâ, etiā ipsi non indigerēt hàc (sc. litterâ q) qui per litterā c. quā ipsi vocāt, cum sceva pronunciarēt tinnitū hunc, & non esset necessitas multiplicare eis litteras mutas, sicut est q.* Dubito hîc, utrū istud Scaliger, *Animadvers. in Euseb. p. 108.* Ebræam vel Græcam originem hujus litteræ esse *è Mario Victorino, Bedâ*, adnotans, recutito Apellæ concesserit.

§. 22. III. Officium ac Munus τῆ Scheva reliqvum est circa differentiam exponendum. Est *illud constituere Syllabam compositam.* Sicut Dagesch forte Symbolū confusionis, sic Scheva compositionis seu conjunctionis consonarū appellatur. Counit enim ac conjungit duas, tres, immò plures litteras, ut constituatur syllaba; ea autem non simplex, quippe quæ unâ litterâ unaq; Vocali absolvitur, sed composita. Hæcq; deinde talis est, non ac si duæ syllabæ simplices congrederētur, sed quia aliquot litteræ tantùm unâ vocali brevi gaudēt, quæ comitata à ministro compositam eam efficit. De Examine verò syllabarum Etymologico sermo hîc nobis saltim est, non Prosodico. Ita enim faciliores qui esse amant, Scheva simplex æq; ac compositum brevem in Metro syllabam pedemq; constituere largiuntur, quod rigidiores contra verius negant, permittentes interim Chatephim correptis adhiberi posse Syllabis; verùm hæc, non per se ac prout ex Matre unâ Scheva oriunda sunt, sed in respectu ad Patres suos, puncta brevia, ex quibus fuere exstructa. *V. Cl. Buxtorf. Thes. Gr. p. 632.* Itemq; *Francisc. Gomarus in Lyrà Davidis. p. 21.*

TANTUM

de Naturâ Scheva in genere.

תהלה לאל׃